Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. 1432

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſextâ Januarii.

M. CAROLO CONTUGI, Doctore Medico, Præſide.

Nocet ne cerebro Tabaci uſus?

TABACI noſtris in regionibus increbuit uſus. Optimatum deliciæ, plebeiorum alimentum. Pluribus effertur laudibus à nonnullis, ab aliis contemnitur, ſed inconſultè. Illius uſus nec nimis laudandus, nec contemnendus. Intempeſtivus & frequentior varias parit ægritudines, quas pariter concitat vini ingurgitatio. Tempeſtivus ac moderatus cerebri morbis opitulatur, dum eas, à quibus naſcuntur, cauſas viribus ſuis amovet. Cerebri vitia à ſupervacaneo ſanguinis ſero fieri conſueverunt. Hoc ſero caput, in perenni ſpirituum ad motum & ſenſum neceſſariorum generatione, impletur. Binæ etenim carotides arteriæ, totidemque vertebrales, cum tenuiorem ſanguinem in cerebrum continuò invehant, harumque ramuſculi exilitatis infinitæ in ſingulis ſubſtantiæ corticalis anfractibus variè inflexi & contorti, advecti ſanguinis puriorem, magiſque aëream portionem excipiant, ſtructurâ ſuâ attenuent, & in ſpiritus puros evehant; ſeroſa unà cum ſpiritibus (quorum vehiculum eſt,) in cerebri poros introducitur, non rarò copiâ aut qualitate cerebro nocitura.

SERI ſecretionis gratiâ innumeræ glandulæ inſtar acinorum uvæ agglomeratæ totum caput occupant. Glandularum multæ plexui potiſſimùm choroideo inſertæ, redundans; ſerum in cerebri ventriculos velut in materiæ excrementitiæ & foràs amandandæ meras cloacas deponunt. Serum non apertos modò canales, ſed ſtrictiores etiam nervorum poros trajiciens, ac fibras membranaſque tanquam filtri lacinias perreptans, per infundibulum & os cribriforme, in has, quæ oris & naſi concava tenent, ſtillat glandulas. Hæ non tantum humores ſeroſos à cerebro delapſos, ſed etiam à ſanguine in cerebrum aſcendenti ſecretos, intra poros ſuos admittunt. Hoc ſanguinis excrementum ſi retineatur, nec per os, nareſque vacuetur, moleſtiſſimam morborum cohortem producit, vel cerebro gravitatem copiâ afferens, vel ſpiritus inficiens, vel utriſque afflans putredinem. Si colluvie ſeroſa cerebrum diffluat, capitis dolor, torpor, motûs ſegnities, ſenſuum mentiſque ſtupor, ſuccreſcit. Eadem labes ſi ſpiritibus aſpergatur, ſomnus vix expugnabilis, apoplexia, vertigo ſuccedit. Humor idem ſi putreſcat phrenitis, mania, melancholia, aliæque animi delirantis ægritudines enaſcuntur. Tot mala & tam grandia facilè ſuaviterque elevat Tabacum, humoris vacuationem promovens.

TABACUM, Nicotiana, vel Petum, planta eſt latis foliis, in multis Americæ plagis velut in Braſilicâ & Peruviâ uberrimè creſcens; ſed maximo pretio eſt ea quæ ex Floridâ defertur. In noſtras terras tranſportata fuit; ſed ut minùs calida noſtra regio, ſic planta minùs generoſa prodit. Calida eſt, tenuium partium, multo ſulphure & ſale acri abundans, hinc emetica. Fumo enecat ſerpentes, viperas; aut venis indita; famis, ſitis oblivionem, hilaritatemque quandam affert. Largior uſus inaſſuetis ebrietatem velut à meraciſſimo vino inducit, dolorum plerumque linimentum eſt. Uſus ejus frequentiſſimus & laudatiſſimus triplex, vel ore fumus excipitur, vel manditur, vel naribus inditur. Tabacum ore verſatum, aut fumus exceptus acrimoniâ ſuâ palatum ferit, vaſcula in os ſerum deferentia pungit, quæ puncta ſeſe contrahunt, ſerumque profundunt: quin & ſerum craſſius canales obturans, ſale volatili liquat, fluidumque reddit. Hinc copioſa per os pituita expuitur, ſuperfluique cerebri humores abſumuntur, qui ſi retinerentur, quanta non parerent mala?

TABACUM in pulverem redactum, gratiſque aſperſum odoribus hiſce temporibus & frequentiſſimè, nec abſque commodo naribus inditur. Suavi ſuo odore cerebrum recreat; aëris malignitati, fœtidiſque odoribus potenter reſiſtit. Acri ſua extergenteque facultate, quæ in ſulphure & ſale volatili poſita eſt, ſternutamentum provocat, quo cerebrum ſubcutitur, pituitoſorumque humorum, & muci ingens copia educitur. Non tantum cerebrum expurgat ſternutamento, ſed & pectus. In membranis naſi interioribus quæ excitatur veluti convulſio, diaphragmati nervorum ope communicatur, irritati ſpiritus in organo olfactûs, violento cum impetu ruunt in diaphragma, quod mirè contrahunt, contractum ſummâ vi ſurſum reſilit, unàque cum aëre ſonituque exploſo, ex glandulis & ex emunctis pulmonum veſiculis copioſam abigit & expellit pituitam, morâ non minimam labem pulmonibus allaturam.

TABACO ſi pituitoſus ſapienter & modeſtè utaris, exuperantis pituitæ vacuatione multorum radices præſcindes morborum. Quàm neceſſaria cerebro ſupervacanei ſeri expurgatio: huic tam utile Tabacum. Non ad Medicos ſolum uſus, ſed ad delitias etiam comparatum id eſt. Senſuum namque organis ſuæ ſunt delitiæ, ſua ſunt parata obſonia, atque oblectamenta. Linguam & fauces ſuaviter irritant mollia vina & generoſa, & cum arte paratæ menſæ. Oculi luminis, picturæ, colorumque varietate recreantur. Aures voluptate perfundit dulcis vocum & inſtrumentorum conſenſus. Cuti corporum mollities blanditur. Nares titillat Tabacum; at quantâ cum ſuavitate dicent ii, quibus uſus ejus frequens eſt & laudatiſſimus. Apud delicatos homines commendatur velut gratæ ſuaveſque naſi epulæ. Apud nos ob eam quam affert cerebro utilitatem. Hujus uſu ſæpè inſtantes à pituitâ morbi diſcutiuntur. Ad ſoporoſos affectus depellendos, obtuſos ſenſus acuendos, infixoſque capitis & dentium dolores ſedandos, non ſine utilitate adhiberi ſolet; nec dubium eſt quin vix quiſquam cerebri morbis ægrotet, qui Tabaco utitur.

Non ergò cerebro nocet Tabaci uſus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Paulus Guyart.
M. Franciſcus le Rat.
M. Ludovicus Labbé, Pharmaciæ Profeſſor.
M. Andræas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Ioſephus Thomaſſeau.
M. Ludovicus Poirier.
M. Ioannes-Baptiſta Moreau, Profeſſor Regius, & primarius ſereniſſimæ Delphinæ Medicus.
M. Ioannes Garbe.
M. Guillelmus Petit, primarius ſereniſſimi Delphini Medicus.

Proponebat Pariſiis JOANNES FRANCISCUS FOY-VAILLANT, Bellovacenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1690.